

# The Choice of Paris

Filmed in 2007 by The LATIN QUARTER  
Pronunciation: classical Latin

DISCORD Quis ex hominibus es tū? Quō nōmine?  
PARIS Nōmine Paris sum... fīlius Priamī, nōn, pāstor, vel fortasse  
prīnceps ... Iō, tū quis?  
DISCORD Mī nōmen est Discordia.  
PARIS Dea ipsa?  
DISCORD Dea ipsa. Tū-ne mīles?  
PARIS Ego pāstor.  
DISCORD Cum bōbus vīvere libet?  
PARIS Sīc placet.  
DISCORD Vīn vidēre bella pugnāsque?  
PARIS Quam ob rem?  
DISCORD Prō glōriā in armīs.  
PARIS Nunc certissimē iocāris, ō bellātrix! Mī libet iacēre grāmine cum  
bōbus.  
DISCORD Crēdō. Sed nōnne es Paris, Priamī fīlius, rēgis Trōiae?  
PARIS Ut quīdam dīcunt.  
DISCORD Pater tuus in populōs multōs imperium tenet.  
PARIS Ego ūnus ex fīliis quīnquāgintā. Quōs ad stūdia persequenda  
Priamus ex urbe et hūc mē mīsīt.  
DISCORD Tē miserum. Ego sum etiam exclūdī solita.  
PARIS Hīc sum fēlīx. Mea est illa casa strāmentīs tecta.

*Three goddesses (Juno, Minerva and Venus) appear in the fire.*

PARIS Quid est illud? Quae ē nymphīs sunt illae?  
DISCORD Vīn meās salūtāre sorōres?  
PARIS Etiamne deae?  
DISCORD Sānē sanctissimae.  
PARIS Certē quās salūtem.  
DISCORD Volō ut meīs ē sorōribus pulcherrimam ēligās.  
PARIS Ut ego pulcherrimam ē deābus ēligam? Quōrsum?  
DISCORD Ecce, hoc mālum. Est ūnī dīlectissimae.  
PARIS Cui deae ... incertus ... sum mortālis.  
DISCORD Ssst, deae adsunt.

*Juno appears – in the flames*

JUNO Ego adsum, Iūno, dīvum rēgīna.  
PARIS Deae immortāles! Tibi salūtem dīcō, ō Iūno, dīvum rēgīna.  
JUNO Ō homō, mihi dīc quid dēsīderēs? Honōrēs? Dīgnitātēs?  
Auctoritātem?  
PARIS Sīc.  
JUNO Meum dōnum est imperium. Sum dea imperātrīx.

PARIS Concēdō pārēōque.  
 JUNO Faciam omnēs ut gentēs tē revereantur.  
 PARIS Mēne?  
 JUNO Tē ipsum.  
 PARIS Tibi grātiās.  
 JUNO Nōnne sī scīs quid tibi prōsit, ō puer, Iūnōnī deae maximae  
 mālum trādēs aureum?  
 PARIS Ut placet, ō dea maxima!  
 JUNO Bene sē habet.

*Juno fades. Minerva appears*

PARIS Quis es tū?  
 MINERVA Sum nōmine Minerva.  
 PARIS Minerva!  
 MINERVA Ego ipsa.  
 PARIS Tē salūtō, ō dea sāncta benigne.  
 MINERVA Quālem artem profitēris?  
 PARIS Nūllam.  
 MINERVA Vīn fierī ingeniōsus?  
 PARIS Sānē.  
 MINERVA Et in vīs mundī prūdēns?  
 PARIS Etiam. Beātus ille quī pecorum viās sequitur prūdēns.  
 MINERVA Itaque in tē crēdam, ō puer, ut Minervae, deae sapientiae  
 artiumque, mālum trādās aureum.  
 PARIS Vērō placet, vērō placet. (*Minerva fades*) ... Salvē?

*Venus appears*

VENUS Salvē!  
 VENUS Salvē.  
 PARIS Et tū quis deārum immortalium?  
 VENUS Mī nōmen est Venus.  
 PARIS Mīrābilis vīsū!  
 VENUS Ō Paris, puer fēlīcissime, amōris flammam concupīscis?  
 PARIS Sānē quam!  
 VENUS Fēminam tibi pulcherrimam in orbe terrārum dabō.  
 PARIS Dā mī bāsia mīlle.  
 VENUS Sī nōs fāta sinunt.  
 PARIS Deinde usque altera mīlle.  
 VENUS Absīs! Quid dīcis?  
 PARIS Ōrō!  
 VENUS Dē mālō aureō?  
 PARIS Estō, estō. Tū ēligenda, ō victrīx! Iam sum certus!

END